

LIBER ECCLESIASTÆ,  
GEMINA VERSIONE ET NOTIS  
ILLUSTRATUS,

---

CUJUS PARTEM PRIMAM,  
CONS. AMPL. FAC. PHILOS. IN REG. ACAD.  
ABOENSI,

GABRIEL TIDGREN,  
FACULT. EJUSD. ADJUNCT. ORD.

ET

JOHANNES LITHELL,  
NERICIUS,

PUBLICO EXAMINI SUBJICIUNT,  
IN AUDITORIO MAJORI,  
DIE XVI OCTOB. MDCCCLXXXIV,

H. A. M. S.

---

ABOÆ,

TYPIS VIDUÆ REG. ACAD. TYPOGE. JOH. C. FRENCKELL.



АТЭС БЕЗОПАСНОСТИ  
СИСТЕМ И ТЕХНОЛОГИЙ

Сборник научных статей

Составлен в соответствии с программой Академии

Союза промышленности и науки Российской Федерации

и Академии наук Российской Федерации

Сборник научных статей

Составлен в соответствии с программой Академии

Союза промышленности и науки Российской Федерации

и Академии наук Российской Федерации

Сборник научных статей

Составлен в соответствии с программой Академии

Союза промышленности и науки Российской Федерации

и Академии наук Российской Федерации

Сборник научных статей

Составлен в соответствии с программой Академии

Союза промышленности и науки Российской Федерации

и Академии наук Российской Федерации

Сборник научных статей

Составлен в соответствии с программой Академии

Союза промышленности и науки Российской Федерации

и Академии наук Российской Федерации

Сборник научных статей

Составлен в соответствии с программой Академии

Союза промышленности и науки Российской Федерации

и Академии наук Российской Федерации



## PROOEMIUM.

**D**e Scriptore & auctoritate Libelli, quem Hebræi *Cohæleth*, Græci & Latini Interpretes *Ecclesiasten* dixerunt, non æqua omnium fuere jūdieia. Inter Judæos jam olim fuisse narrantur, qui de illo, tamquam & sibi ipsi & bonis moribus adversante, suppressimendo consilium inierint (*a*); nec citeriore ætate defuerunt, quibus vel Scepticis, vel Epicureis, vel adeo Atheis visus est patrocinari (*b*). Contra vero ea a plerisque cum Judæis, tum Christianis, plurimi, uti par erat, habitum fuisse, utrorumque scripta testantur. Nec fieri potest, quin sanum quemvis & compositæ mentis lectorem hoc magis delectet & afficiat, quo sensum ejus penitus introspexerit; & tametsi Scriptori divino Spiritu adflato non deberetur,

A

quan-

---

(*a*) Cfr. שְׁבַת f. 30, קְהֻלָּה in מִדְרָשׁ f. 114. & tract. Talmud. c. 2. ubi ita; בְּקֹשׁוּ חֲכָמִים לְגַנוּסָרֶקֶל חַמֵּךְ מִפְנֵי שְׁדָכוֹן. סָוּתְרִין זֶה אַתְּ זֶן. Cur vero eundem in canone retinuerint, ratio ibidem redditur non plane satisfaciens; מִפְנֵי שְׁתַחַלְתָּה וְסָופּוּ רְבִרִי תּוֹרָה. (*b*) Empedoclis Pythagoræ doctrinam de non futura resurrectione mortuorum a Salomone adoptatam & huic libro commissam Greg. *Abul-Pharagius* in Hist. Dynastiar. p. 50 singit, hoc quilem absurdius, quod Empedocles ultra quingentos annos post Salomonis tempora vixit. B. *Lutheri* ad detractores Ecclesiastæ perperam aggregati vindicias suscepit *Gerhardus* in Exeg. Loci de Scr. S. p. 60.

quantivis tamen pretii esse ab eodem judicetur. Unde qui summam ejus Gallico Poëmate, Precis de l' Ecclesiaste, cuius versionem liberam & pulcherrimam Svethica lingua loquentibus dedit Celeb. D. Kellgren, complecti suscepit *Voltaireius*, "Ce livre, ait, est d'autant plus precieux, qu'il contient plus de Philosophie. Il montre le néant des chofes humaines, il conseille en même tems l'usage raisonnénable des biens, que Dieu a donné aux hommes. Il ne fait pas de la sagesse un fantome hideux & revoltant; c'est un cours de morale fait pour les gens du monde (c)", mallem dixisset, pour tous les hommes.

Auctorem hujus Libri ministerialem plerique omnes statuunt Salomonem Regem, cui vero magni nominis Viri *Grotius* & *J. D. Michaëlis* eum abjudicant (d). Illi locutiones quædam, Scriptoribus sacris, præterquam huic, Esræ atque Danieli inusitatæ, & vox נַהֲלָה, congregandi notionem habens, liberius conjiciendi locum dedere, eundem, sub hujus Regis, tamquam pœnitentia ducti, nomine, a pluribus scriptoribus, Zorobabele jubente, esse congestum (e). Hic Prophetam quendam, captivitatis Babylonicae tem-

---

(c) V. Oeuvres de Voltaire, impr. 1775, T. 12. p. 96. (d) Nec ab hac sententia alienus est *J. S. Semier* in Apparatu in Vet. Test. interpret. p. 203 seqq. Eidem rationes multas, nec proletarias, nuperrime adstricatum ivisse Professorem Jenensem *J. G. Eichhorn* in Einl. ins Alte Test. T. III. p. 716 seqq. libro, cuius usuram favori Viri amplissimi debo, cum jam in eo essem, ut dissertationem hanc typis committerem, videro mihi contigit. (e) V. Criticor. Sacr. T. II. p. 2054 seq. & *Calovii* Bibl. illustr. T. I. p. 1226 seqq.

tempore, vel sequiore ætate viventem, Salomonem loquentem introducere eo voluisse existimavit (*f*), quo, Regis tam prosperi atque sapientis exemplo, rerum, in quibus vulgus hominum felicitatem collocat, vanitatem clarius exponeret atque illustraret, quemadmodum sermonem suum de senectute Catoni, Lælio de amicitia tribuit Cicero. Fidem sc. ita esse ipsi faciunt vocabula Chaldaica, quibus abundat Ecclesiastes, ut ענין, חסרוּן, הלוּלָות, כְּחַרְוֹת, וְתִרְוֹן, quæ tamen singula ad radicum Hebraicarum familias pertinere constat, ceteris licet Scripturis ignorata, nisi quod בְּחַרְיִם etiam legatur Num. XI: 28; in quorum vero locum, præter animadversa jam a Grotio צְבָא, רְשָׁפָא, substitui forte possent תְּקִוָּה, לְאֵלָה, מְקִתָּה, יְמִינָה, alia. Erunt forte præterea, quibus nec modestiæ Salomonis de se ipso loquentis convenire videbitur effusa laudum ejus, quæ heic redit, prædicatio, nec prudentiæ ejus consentaneum, præfensionum suarum, fore, ut filii & successoris ejus inertia stultitiaque sapienter ab ipso constituta pessum irent, universum populum suum consciūm reddere, atque adeo rebellionis incendio brevi erupturo faces subdere. Utra harum sententiarum verior sit, quippe quæstionem, cuius definitio a meo judicio, quod quam parum sit decretorium probe novi, non pendeat, ut in medio relinquo; sic non fateri nequeo, ex opinione negantium hoc scriptum esse Salomonis, quam in Grotio

A 2 Calo-

---

(*f*) In Präf. sec. edit. libelli, Poët. Entwurf der Gedanken des Prediger-Buchs.

\* \* 4 \*

*Calovius* non reprobandam, sed detestandam duxit, me quidem judice, nihil periculi in religionem redundare.

De materia Disputationis philologicæ edendæ liberanti mihi in illustrando hoc libro, omnium ejusdem interpretum confessione subinde obscuriore, & Celeberrimorum Virorum Cœtui, eujus curæ nova facri Codicis versio apud nos est demandata, etiamnum insuper intacto, operam periclitari non ab re videbatur: in hoc autem argumento ita versari, ut allatæ duplii versioni, prosaicæ alteri & quantum fieri convenit verbali, alteri metricæ, effata divini Auctoris acuta & profunda, quæque orationi ligatæ quam solutæ accommodatoria locuples harum existimator rerum laudatus *Michaëlis* (g) dudum judicavit, succincte, quoad ea asscutus sum, explicaturæ, notas, rationi eorum, in quibus a communi interpretatione discedendum mihi duxi, breviter reddendæ potissimum inservituras, subjungam. Exspectari vero vix poterit, certe frustra exspectabitur, difficultates libri hujus, post insuntos eidem doctissimorum virorum labores etiamnum tamen residuas, a me superatum iri omnes; quem ut mihi admetiri queam laboris successum, tantum abesse non diffiteor, ut facile concedam, quod lectori intelligenti ceteroquin in oculos incurret, de quibusdam locis, utut diligenter examinatis, non reperisse me quod liqueat. Sensum verum, vel verisimillimum, ubique eruere conatus sum; sicubi ve-

ro

---

(g) In Praef. i. edit. Lib. cit. §. 15.

ro ab eodem recedere, post perfectas annotationes, quas ad calcem hujus opellæ abjiciendi plures mihi fuere caussæ, deprehensus fvero, humanæ fortis, errandi non immunis, sibi concium, quam in antecedens sum enixe mihi appreco, veniam benigne daturum esse spero. Quodsi operæ pretium fecisse hac in re judicabor, hisque me permittere studiis mihi licebit, partem primam, cui temporis impensarumque ratio exiguum statuit modum, reliquas brevi secuturas esse spondeo.

## CAPUT I.

1. Verba Ecclesiastæ, filii Davidis, Regis Hierosolymis. 2. O vanitas vanitatum! dixit Ecclesiastes: o vanitas vanitatum! omne est vanitas. 3. Ecquid emolumenti homini supereft ex omni labore suo, quo laborat sub sole? 4. Generatioabit, & generatio venit;



## C. I.

2. *O spes & curas, umbræ modo somnia, vanas!*  
*O quantum est in rebus inane!*  
*Vitæ hujus memori ludibria mente revolvens,*  
*Has fudit Rex Præco querelas.*
3. *Quos capit exhausti fructus mens ægra laboris?*  
*Ut nucleus fræcta nuce temnit!*
4. *Gens abit e scena, gens excipit altera partes;*  
*Dum tellus primæva perennat.*

nit; terra autem stat in perpetuum. 5. Oritur sol, & occidit sol; & ad locum suum, ubi ortus erat, festinat anhelans. 6. Ventus abit ad meridiem, & convertit se ad septentrionem; circuit, circuit, pergens, & in orbes suos revertitur. 7. Omnes fluvii desfluunt in mare; nec mare impletur. Ad locum, quem pertinet fluvii, revertuntur, ut denuo eant. 8. Omnes res sunt supra quam dici potest laboriosæ: oculus videntio non satiatur, nec expletur auris audiendo. 9. Quidquid fuit, idem est quod erit; & quodcumque factum est, idem est quod fiet; neque est quidquam novi sub sole.

- \* \* \*
5. Sol altum scandit stadium, sol occidit undis,  
Et notum festinat ad ortum.
6. Arida si gelidus Boreas nunc nubila differt,  
Mox madidis Notus evolat alis:  
Legibus antiquis, qui circuit omnia ventus  
Paret, & in solitos redit orbes.
7. In mare cuncta ruunt declivi flumina lapsu,  
Nec tumidum mare littora transit;  
Quippe vagis fluvii repetunt loca cursibus, ortum  
Unde trahunt, ut rursus oberrant.
8. Quem non tædet, inest qui rebus in omnibus idem  
Eloquio majorque, laboris?  
Nescit edax visorum oculus satur esse, nec aurem  
Multa replent audita capacem.
9. Nil sub sole novi: quod postera fama loquetur,  
Dudum ætas celebravit avorum.

sole. 10. Erit quidpiam de quo dixerit aliquis: ecce  
hoc novum est; atqui factum fuerit seculis præteritis,  
quod non factum est in conspectu nostro. 11. Quan-  
tilla enim est memoria priorum? nec posteriorum, quæ  
futura sunt, memoria constabit apud eos, qui olim e-  
runt. 12. Ego, Ecclesiastes, Rex eram Israëlis, Hie-  
rosolymis. 13. Et applicabam cor meum ad sapien-  
ter disquirendum & investigandum omne quod sit sub  
cœlo. Est hæc occupatio admodum molesta, quam  
Deus hominibus dedit, ut ea humilientur. 14. Vide-  
bam omnia opera, quæ sunt sub sole; & ecce! o-  
mnia erant vanitas & voluptas temporaria. 15. Per-  
versum non potest corrigi; & defectus numerari ne-  
que-



10. Ecce novum! mirator, ait; qui scis sed id ipsum  
Quod proavus non viderit olim?

11. Plurima nam cæca premit invida nocte vetustas,  
Et fugient nunc gesta nepotes.

12. Regius in solium me quandam evexerat ortus,  
Tura dabam Solymis ego Präco.

13. Quæ vasto natura sinu parit omnia, rerum  
Et caussas rescire studebam.

Scilicet ærumnis voluit Deus addere nostris  
Hoc studium fatale sciendi.

14. Visa mihi quæ Sol oculus videt omnia mundi,  
Frivola erant & pastio venti.

15. Quid sapuisse juvat? quis adunca reflectere, mendas  
Quis tantum numerare valebit?

16. An-

queunt. 16. Loquebar cum corde meo, dicendo: ego ecce! magnam comparavi & adstruxi sapientiam præ omnibus, qui ante me præfuerunt Hierosolymis; & cor meum percepit multum sapientiæ & scientiæ. 17. Et addixi cor meum in id, ut cognoscerem sapientiam, & ut cognoscerem insipientiam ac stultitiam: expertus vero sum etjam hoc esse oblectamentum ventosum. 18. Ubi enim multum sapientiæ, ibi etjam multum ægritudinis est; & qui auget scientiam, auget dolorem.

## CAP. II.

1. Agedum! dicebam ego apud cor meum, probabo te lætitia; fruere bono. Sed ecce etjam hoc vani-



16. *Ante omnes Solymæ Reges en! maxima, dixi,  
Doctrinæ mihi gloria cessit;*

17. *Prudentis stultique vias casusque notavi;  
Vana fuit sed & ista voluptas.*

18. *Nam trahit heu! comitem, sic lex jubet aspera, major  
Majorem sapientia curam;  
Quoque magis condit Sophiæ quis scita, dolori  
Plura suo modo pabula quarit.*

## C. II.

1. *Euge! mihi dixi, genio indulgebo, studendi  
Fessam latitiae dabo mentem;  
Mella voluptatis sed acescere dulcia sensi,  
Et flores marcere repente;*

2. *Ad*

vanitas erat. 2. Risui dicebam: insanis! & lætitiae:  
quid est, quod agis? 3. Cor meum explorabam de-  
tinendo corpus meum vino. Cor meum progressus  
faciebat in sapientia, stultitiae interim adhaerens, us-  
que dum viderem quidnam factu bonum esset homini-  
bus sub cælo, per breve vitæ ipsorum tempus. 4. Ma-  
gna faciebam opera; ædificabam mihi domos; plan-  
tabam mihi vineas. 5. Faciebam mihi hortos atque  
paradisos; & plantabam in eis fructiferas arbores o-  
mnis generis. 6. Faciebam mihi piscinas aquarum,  
ut



2. *Ad me dum rediens, risum insanire, furores*  
*Effè breves dum gaudia duxi.*

3. *Pertentans animum, vino tum largius hausto*  
*Conabar depellere curas:*

*Nec tamen alma tuis Sapientia! vocibus aures*  
*Non memini præbere patentes;*  
*Stultitiae paullum, quid enim tacuisse juvabit?*  
*Sed tecum miscere volebam;*  
*Forte boni, præbet quod frivola vita, supremi*  
*Hac compos ratione futurus.*

4. *Magna opera exegi; mihi tecta, palatia feci,*  
*Pampineis cinxique viretis.*

5. *Arboreis dites instruxi fructibus hortos,*  
*Et florum splendore rubentes.*

6. *Piscinis etjam non parva impendia passim*  
*Præstabam puteisque fodendis;*

*Nelymphæ arbustis deessent plantisque rigandis;*  
*Ipsa licet natura negasset.*

ut sylvam efflorescentem arborum eis irrigarem. 7.  
 Emebam servos atque ancillas, & filii domus mihi erant: armentorum & gregum major mihi erat possessio, quam cuiquam, qui ante me fuerat Hierosolymis. 8. Congerebam mihi etiam argentum & aurum, atque peculium Regum & provinciarum: comparabam mihi cantores & cantatrices, & delicias filiorum hominum, mammam & mammas. 9. Magnus evadebam & plura præstabam quam omnes, qui ante me Hierosolymis fuerant: nec sapientia mea mihi defuit. 10. Omnia, quæ oculi mei desiderabant, nihil illis subtrahebam; nec prohibebam cor meum ab ullo gaudio, quando

cor



7. *Vernarum mihi densa manus, numerosaque turba  
 Servitii fuit ære coëmta;  
 Dition armentis nec me gregibusque cluebat,  
 Qui Solymis Rex degeret ultor.*

8. *Fiscum intrare meum vidi quasi sponte quotannis  
 Argenti grave pondus & auri;  
 Multa mihi Reges socii cimelia, census  
 Mittebant populique propinqui;*

*Cantantumque chorum sexus utriusque paravi,  
 Otia qui mihi blanda crearet:  
 Nec Conjux & Amicarum lectissima turba,  
 Deliciæ deerant mihi primæ.*

9. *Tam bene concordes sapientia, pompa, potestas  
 Nec Solymis coiere priores.*

10. *Quæ peterent, oculis spectacula nulla negavi,  
 Nulla meo nova gaudia cordi.*

Quo

cor meum de omni labore meo lætabatur. Scilicet  
 hæc mihi ex omni labore meo redibat portio. 11.  
 Quum vero respicerem ad omnia opera, quæ fece-  
 rant manus meæ, & ad laborem, quem artificiose e-  
 laboraveram, ecce! omnia erant vanitas & delectatio  
 temporaria, nec quidquam prærogativæ sub sole. 12.  
 Tum convertebam me ad dispiciendum sapientiam &  
 insipientiam atque stultitiam: quid enim faciet homo,  
 qui veniet post Regem? Id quod pridem fecerunt. 13.  
 Et videbam præstare sapientiam stultiæ, ut lux præ-  
 stat tenebris. 14. Sapientis enim oculi sunt in capite  
 ipsius; stultus vero ambulat in tenebris; sed eosdem  
 casus



- Quo mihi namque forent, dixi, tot commoda, parto  
 Ni fructu fruerere laborum?
11. Ad mea respexi sed cum molimina, vana  
 Eſſe modo ludibria ſenſi,  
 Nec conſtare bonum terris durabile, falſi  
 Aut requiem ſuper æquoris unda.
12. Hinc reputans ſortem ſtulti & ſapientis, utrumque  
 Par fatum verſare dolebam:  
 Forte mihi ſuccedet enim, præ desidis oti  
 Sordebit cui gloria probro.
13. Vidi equidem ſtolidæ ſapientem excellere mentem,  
 Ut præſtat lux alma tenebris;
14. Cumque die fatuus media cæcutiat, acrem  
 Prudentis vix fallere viſum;  
 Quominus obtingant caſus ambobus iidem,  
 Nec tamen hæc obſtare valere.

casus utriusque evenire, etjam cognovi. 15. Et dicebam in corde meo: quod stulto, etjam mihi evenire potest infortunium; cur ergo sapuero ego tum amplius? & cogitabam cum animo meo, hoc quoque esse vanitatem. 16. Nam recordatio sapientis, perinde ac stulti, apud posteros non constabit; quoniam olim venient dies, quibus omnia oblivioni tradentur: & quomodo morietur sapiens cum stulto? 17. Odio habebam hanc vitam; quod miseranda mihi videbantur negotia, quae sunt sub sole: omnia enim sunt vanitas & oblectatio ventosa. 18. Odi etjam omnem laborem meum, quo sub sole laboraveram; quod relicturus sum



15. Ergo, quæ stultos, eadem me fata manere  
Vah! dixi contraria possunt.

Quid juvat ergo tibi, Sapientia vana, vacasse,  
Cum quoque te rotet alea fortis?

16. Ut stulti sapientis erit sic nulla superstes  
Fama olim, quam supprimet ætas;

Et veniet tempus, quo nil pertinget eorum,  
Os quæ tam nunc omne celebrat.

Cur sua tela manu mors pallida dirigit æqua  
In stulti caput & sapientis?

17. Hæc meditantem operum, quibus exercemur, & hujus  
Ceperunt fastidia vitæ;

Nam cui sublata mortem sibi falce minantem,  
Hæc sapient humana, videnti?

18. Hinc exalitorum piguit me corde laborum,  
Quos alii post fata relinquam:

19. Quis

sum illum homini, qui post me erit. 19. Quis autem  
 scit, num sapiens sit an stultus? & is tamen domina-  
 bitur omni labori meo, quo sub sole laboravi & sapi-  
 entiam meam demonstravi. Etjam hoc ipsum vani-  
 tas est. 20. Et redactus fui eo, ut desperare facherem  
 cor meum de omni labore, quo laboravi sub sole. 21.  
 Est enim, cuius labor sapienter scienterque factus pro-  
 spere cedit; at homini, qui non laboravit in eo, por-  
 tionem suam dabit. Etjam hoc vanitas est & magna  
 miseria. 22. Quid enim supereft homini ex universo  
 labore suo & cordis delectamento, cui operatus est sub  
 sole? 23. Omnes ejus dies sunt dolores, & ægritudo  
 est



19. *Quis præscire potest qualis sit at ifte futurus;*  
*Num sapiens, an mollis & excors?*

*Ille meæ fructus artis curaque locatæ*  
*Sed feret: en queis sevimus agris!*

20. *Spem, mihi dixi, ergo messis depone metendæ,*  
*Ingratus quam colliget heres:*

21. *Sunt homines, quorum sapientem prospera nisum*  
*Ad nubum fortuna secundat;*  
*Ast horum sudoris opus disperdet, eidem*  
*Qui stipulam non contulit alter.*

*Sic nobis spes cassa cadit! lacrymabilis ordo,*  
*Quem fati lex ferrea sanxit!*

22. *Quem tam navat homo, quo tantas exstruit ardens*  
*Spes, quid habet solidi labor omnis?*

23. *Vitæ ejus cursus series est longa dolorum;*  
*Dividas creet ut sibi sudat:*

Nec

est occupatio ejus; ne nocte quidem cor ejus dormit.  
 Hoc quoque est vanitas. 24. Neque est in homine bonum istud, ut comedat & bibat, animamque suam hilarem ostendat in labore suo; nam & hoc vidi a manu Dei esse. 25. Quis enim comedit, & quis diligens fuit ultra me? 26. Etenim homini, qui ipsi acceptus est, largitur Deus sapientiam, scientiam & laetitiam; peccatori autem dat occupationem molestam congerendi & coacervandi illi, qui ipsi acceptus fuerit, dandum. Etjam hoc est vanitas & oblectatio ventosa.



*Nec sibi permittit vanis mens excita curis  
 Tranquillam sub nocte quietem.*

24. *Frustra etjam lautis dapibus potuque labore  
 Fractum animum recreare studemus;  
 Isthoc quippe bono quod qualicunque fruamur  
 Incolumes, sine Numine non est:*

25. *Nam quis me melius vegeto interponere novit  
 Delicias luxumque labori?*

26. *Nempe sibi gratis Idem Deus indere mentem,  
 Qui lactam solet atque sagacem,  
 Is peccatori miseras quoque lege severa  
 Injungit corradere gazas,  
 Nec sibi, sed raptus propera quas morte fruendas  
 Cedet eis, quos Numen amarit.  
 O vanas hominum curas! o gaudia cæca!  
 Ecce docet quæ fabula vitæ!*

